Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1167
Quelle:
Copyright:

CCCCLXXIX.

U. 281 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. nunc 377. f. partim per duas columnas, partim lineis longis exaratus et minio distinctus *Petri Lombardi Sententias* continet, sed ἀκεφαλος est, et incipit a L. II. *Dist.* 40. c. 4. *Sed augustinus euidentissime docet in lib. contra mendacium* &c. Pro *Capitum* L. III. elencho relictum est spatium, et ad ejus calcem legas: *In die s. heinrici imperatoris* 1446. Cetera integra sunt, et margines notulis consiti.

Fol. 124. sequuntur Commentaria in *Librum* III. absque inscriptione: *Cum venit igitur plenitudo temporis. Iste est liber tercius sententiarum, in quo postquam in precedentibus libris magister determinauit de rebus diuinis* &c. Ad calcem: *feria 6ª ante tyburcij que fuit ante dominicam 3ᵃᵐ post pasca.* (14)48. Sed adhaerent *Fol.* 244—55. plura ad hujus Libri illustrationem pertinentia.

Fol. 256. incipiunt quidem Commentaria in *Librum IV.* verum monetur Lector in fronte: *Primas distinctiones tres require in fine libri presentis.* Et eccillas *Fol.* 366. p. 2. *Samaritanus enim vulnerato appropians. Hic est quartus liber sententiarum qui ad precedentes libros continuatur sic. Nam postquam* &c. Autorem persequi in tanto Commentatorum agmine infra operae pretium habeo.

CCCCLXXX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 284 Folior. 297. f. luculente exaratus, minioque distinctus aliud est *Sententiarum Petri Lombardi* Exemplar, in quo *Distinctionum* et *Capitum* Elenchus singulis Libris praefixus est, margine tot Notis occupato, ut paene Commentarium perpetuum dicas. *Fol.* 1. Adversaria quaedam de Generatione in Divinis ἀκεφαλα praemittuntur; *fol.* vero 85. p. 2. adscriptus est locus *Job. Boccatii de Certaldo*, qui depromtus est ex Opere ejus lat. *de Genealogia Deorum*, et incipit: *Decipiuntur gentiles, dum creature creatoris attribuunt dignitatem* &c. Ultima: *Demogorgon igitur secundum gentiles omnium rerum primum principium est.*

CCCCLXXXI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 285 Folior. 194. f. currente calamo scriptus et rubricis distinctus, minus tamen bene servatus item *Petri Lombardi* Exemplar est, notis adspersum, insertis ad *fol.* 52. Sententiis iis, *in quibus*, ut praefertur, *recedunt doctores a magistro sententiarum.* Ad calcem *fol.* 192. p. 2. adjecta est Tabula genealogica V. T. ab *Adam* et *Eva* perducta ad *Helchanam* ejusque Uxores *Annam* et *Fenennam*, cui praefatur Autor: *Considerans hystorie sacre prolixitatem nec non et difficultatem scolarium* &c.

CCCC-